

« Musicam sacram »

Die 5 martii 1967 Instructio « de musica in sacra Liturgia » edita est, ab A. M. Card. Larraona, Praefecto SRC, I. Card. Lercaro, Praeside « Consilii », et F. Antonelli, a Secretis SRC, subsignata.

ED. - **Lat.:** AAS 59 (1967) 300-320; N 3 (1967) 87-105; EL 81 (1967) 193-229. **Angl.:** TPS 12 (1967) 173-186; LRA 76*-92*. **Gall.:** DC 64 (1967) 495-512, 1133-1136. **Germ.:** LJ 17 (1967) 106-126; NK 1 (1967); MuA 19 (1967) 49-74. **Hisp.:** LC I 381-403. **Ital.:** EV 1313-1347; RL 54 (1967) 225-251; AA.VV., *La Costituzione sulla sacra Liturgia* = MC 14 (1967) 889-911. **Lus.:** CEV 669-682; *Instrução Musicam sacram*, Lisboa 1967; LRC 31 (1967) 478-488; OL 14 (1967) 177-198. **Neer.:** KA 22 (1967) 317-333.

COMM. - **Angl.:** A. MILNER, in: W 41 (1967) 322-333; J. D. CRICHTON, in: Liturgy 36 (1967) 57-63. **Gall.:** L. AGUSTONI, in: N 3 (1967) 81-86; cf. *ibid.*, 105-108; Id., in: BNL 2 (1967) 57-75; C. PARADIS, in: LVC 13 (1967) 94-104. **Germ.:** H. RENNINGS, in: LJ 17 (1967) 161-165; H. HUCKE, in: Concilium 4 (1968) 125-133; E. J. LENGELING, in: BuL 40 (1967) 184-189; L. AGUSTONI-H. HUCKE, in: MuA 19 (1967) 49-74; K. AMON, in: HD 21 (1967) 54-65. **Hisp.:** Ph 7 (1967) 361-388. **Ital.:** F. DELL'ORO, in: RL 54 (1967) 251-276; AA.VV., *Musica sacra e azione pastorale* = QRL 6 (1967); AA.VV., in: RPL 5 (1967) 241-271; D. STEFANI, in: AA.VV., *La Costituzione sulla sacra Liturgia* = MC 14 (1967) 991-1015; AA.VV., *Rinnovamento liturgico e musica sacra* = Bibliotheca « Ephemerides Liturgicae », Sectio pastoralis 4, Roma 1967; AA.VV., *Musica e canto nella liturgia. Atti del Convegno sull'Istruzione « Musicam sacram »* = LNS 3 (1968). **Lat./gall./ital.:** AA.VV., in: EL 81 (1967) 230-293; cf. *ibid.*, 193-227. **Neer.:** B. KAHMANN, in: HO 22 (1967) 82-89.

PROOEMIUM

[300] 1. Musicam sacram, in iis quae ad liturgicam instaurationem spectant, Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum secundum attente consideravit, eiusque munus in divinis officiis illustravit, plura principia pluresque leges hac de re in Constitutione de sacra Liturgia edicens, eique tribuens integrum caput eiusdem Constitutionis. 733

2. Quae autem Sacrosanctum Concilium statuit, in instauratione liturgica nuper inchoata ad usum adduci iam coepta sunt. Sed e novis normis ad sacrorum rituum ordinationem et fide- 734

lium actuosam participationem pertinentibus, quaestiones aliquae de musica sacra eiusque ministeriali munere ortae sunt, quae solvendae videntur ad nonnulla principia Constitutionis de sacra Liturgia hac in re melius declaranda.

735 3. Consilium, proinde, ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia constitutum, de mandato Summi Pontificis, has quaestiones accurate perpendit atque praesentem Instructionem confecit, quae non universam quidem legislationem de musica sacra colligit, sed praecipuas tantum normas statuit, quae magis necessariae hac aetate videntur; quaeque veluti continuatio et complementum efficitur prioris Instructionis huius Sacrae Congregationis, ab eodem « Consilio » praeparatae, et ad executionem spectat Constitutionis de sacra Liturgia recte ordinandam, die 26 septembris 1964 evulgatae.

736 [301] 4. Sperare licet fore ut, has normas libenti animo accipientes et in usum adducentes, animorum pastores, musici artifices, fidelesque concordia animo contendant ad verum finem musicae sacrae attingendum, « qui gloria Dei est atque sanctificatio fidelium ». ¹

a) Ideo illa dicitur musica sacra quae, ad cultum divinum celebrandum creata, sanctitate et bonitate formarum praedita est. ²

b). Sub nomine *musicae sacrae* hic veniunt: cantus gregorianus, polyphonia sacra antiqua et moderna in suis diversis generibus, musica sacra pro organo et aliis admissis instrumentis, et cantus popularis sacer seu liturgicus et religiosus. ³

I. De quibusdam normis generalioribus.

737 5. Formam nobiliorem actio liturgica accipit, cum in cantu peragitur, ministris cuiusque gradus ministerio suo fungentibus, et populo eam participante. ⁴ Per hanc enim formam oratio suavius exprimitur, mysterium sacrae Liturgiae eiusque indoles hierarchica et communitatis propria apertius manifestantur, unitas cordium per vocis unitatem profundius attingitur, mentes per rerum sacrarum splendorem ad superna facilius extolluntur, et universa celebratio illam clarius praefigurat, quae in sancta civitate Ierusalem peragitur. Proinde huiusmodi celebrationis formam animorum pastores sedulo studio assequi conentur; immo munerum et partium distributionem, quae actionibus sacris in cantu celebratis est magis propria, ad alias quoque celebrationes sine cantu cum populo peragendas congrue transferant, id praesertim atten-

¹ Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 113: AAS 56 (1964) 128.

² Cf. S. Pius X, Motu proprio *Tra le sollecitudini* (22 nov. 1903), n. 2: ASS 36 (1903-1904) 332.

³ Cf. S. C. Rituum, Instr. de musica sacra et sacra Liturgia (3 sept. 1958), n. 4: AAS 50 (1958) 633.

⁴ Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 113: AAS 56 (1964) 128.

dentes, ut necessarii et idonei ministri habeantur, et populi actiosa participatio foveatur.

[302] Cuiusque autem celebrationis liturgicae effectiva praeparatio concordi animo fiat inter omnes quorum interest sive quoad ritus, sive quoad rem pastoralem aut musicam, rectore ecclesiae moderante.

6. Genuina celebrationis liturgicae ordinatio, praeter debitam 738 munerum divisionem et executionem, qua nempe « quisque, sive minister sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod ad ipsum ex rei natura et normis liturgicis pertinet », ⁵ postulat quoque ut sensus et natura propria cuiusque partis et cuiusque cantus probe servantur. Ad hoc assequendum, oportet imprimis ut ea, quae cantum per se requirunt, cantu revera proferantur, genere tamen et forma adhibitis, quae eorum indoles requirant.

7. Inter formam celebrationum liturgicarum sollemnem plenio- 739 rem, in qua omnia quae cantum exigunt, revera cantu proferuntur, et formam simplicissimam in qua cantus non adhibetur, plures gradus haberi possunt prout amplior vel minor locus cantui tribuitur. In seligendis tamen partibus quae cantu proferantur, ab iis initium sumatur quae ex earum natura potioris sunt momenti, et praesertim ab iis quae a sacerdote vel ministris sunt canendae, populo respondente, aut simul a sacerdote et populo sunt cantu proferendae, ceteris gradatim additis quae unius populi vel unius scholae cantorum sunt propriae.

8. Quotiescumque ad actionem liturgicam cantu celebrandam 740 personarum delectus fieri potest, expedit, ut ii praeferrantur qui in cantu excellentiores esse noscuntur; praesertim si agitur de actionibus liturgicis sollemnioribus, et de iis quae aut cantum difficiliorem exigunt, aut radiophonice vel televisifice transmittuntur. ⁶

Si vero huiusmodi delectus fieri nequit, et sacerdos vel minister voce apta ad cantum debite exsequendum non pollet, potest unam alteramve partem difficiliorem ex iis quae ad ipsum spectant absque cantu [303] proferre, eam elata voce et distincte recitando. Hoc autem ne in commoditatem tantum sacerdotis vel ministri fiat.

9. In seligendo genere musicae sacrae, sive pro schola cantorum sive pro populo, ratio habeatur facultatum eorum qui cantare debent. Nullum genus musicae sacrae Ecclesia ab actionibus liturgicis arcet, dummodo spiritui ipsius actionis liturgicae et naturale singularum eius partium respondeat, ⁷ et debitam actuosam populi participationem non impediat. ⁸ 741

⁵ Cf. *ibid.*, n. 28: AAS 56 (1964) 107.

⁶ S. C. Rituum, Instr. de musica sacra et sacra Liturgia (3 sept. 1958), n. 95: AAS 50 (1958) 656-657.

⁷ Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 116: AAS 56 (1964) 129.

⁸ Cf. *ibid.*, n. 28: AAS 56 (1964) 107.

- 742 10. Quo autem libentius et fructuosius fideles actuosam participationem praestent, convenit, ut celebrationum formae ipsiusque participationis gradus, iuxta dierum coetuumque sollemnitatem, quantum fieri potest opportune varientur.
- 743 11. Prae oculis habeatur veram actionis liturgicae sollemnitatem, potius quam ex ornatiore forma cantus et magnificentiore caeremoniarum apparatu, ex digna et religiosa celebratione pendere, quae rationem habeat integritatis ipsius actionis liturgicae, seu executionis omnium eius partium, iuxta propriam earum naturam. Ornatio forma cantus et magnificentior caeremoniarum apparatus quandoque optanda quidem sunt, ubi facultates suppetunt id debite praestandi; attamen contra veram sollemnitatem actionis liturgicae esset, si ad aliquod eius elementum omittendum, immutandum, indebite peragendum induceret.
- 744 12. Unì Sedi Apostolicae competit potiora principia generalia statuere quae sunt veluti musicae sacrae fundamentum, iuxta traditas normas, sed praesertim iuxta Constitutionem de sacra Liturgia. Moderatio inter limites statutos pertinet quoque ad competentes varii generis territoriales Episcoporum coetus legitime constitutos necnon ad Episcopum.*

II. De iis qui in liturgicis celebrationibus partem habent.

- 745 [304] 13. Actiones liturgicae sunt celebrationes Ecclesiae seu plebis sanctae sub Episcopo, vel presbytero, adunatae et ordinatae.⁹ Peculiarem in iis locum obtinent, propter sacrum ordinem susceptum, sacerdos eiusque ministri; ob ministerium autem, ministrantes, lectores, commentatores et ii qui ad scholam cantorum pertinent.¹⁰
- 746 14. Sacerdos coetui congregato personam Christi gerens praest. Preces quas ipse clara voce cantat vel dicit, utpote nomine totius plebis sanctae et omnium circumstantium prolatae,¹¹ ab omnibus sunt religiose audiendae.
- 747 15. Fideles munus suum liturgicum implent, plenam illam, consciam atque actuosam participationem praestando, quae ab ipsius Liturgiae natura postulatur, et ad quam populus christianus, vi Baptismatis, ius habet et officium.¹²

* Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 22: AAS 56 (1964) 106.

⁹ Cf. *ibid.*, nn. 26 et 41-42: AAS 56 (1965) 107 et 111-112; Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 28: AAS 57 (1965) 33-36.

¹⁰ Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 29: AAS 56 (1964) 107-108.

¹¹ Cf. *ibid.*, n. 33: AAS 56 (1964) 108.

¹² Cf. *ibid.*, n. 14: AAS 56 (1964) 104.

Haec autem participatio:

a) in primis interior sit oportet, qua nimirum fideles mentem suam iis quae proferunt vel audiunt accommodant, et supernae gratiae cooperantur;¹⁴

b) attamen etiam exterior esse debet, idest quae interiorem participationem manifestet per gestus et corporis habitus, per acclamationes, responsiones et cantum.¹⁵

[305] Edoceantur quoque fideles ut, ea auscultantes, quae ministri aut schola cantant, mentem suam ad Deum extollere, per interiorem participationem, contendant.

16. Nihil sollemnius vel iucundius potest in sacris celebrationibus exhiberi, quam coetus qui totus suam fidem et pietatem cantu exprimit. Proinde totius populi actiuosa participatio, quae cantu manifestatur, sedulo promoveatur hac ratione: 748

a) Comprehdant imprimis acclamationes, responsiones salutationibus sacerdotis et ministrorum et in precibus litanicis, ac praeterea antiphonas et psalmos, necnon versus intercalares seu responsa repetita, atque hymnos et cantica.¹⁶

b) Per aptam catechesim et exercitationes, populus gradatim ducatur ad ampliorem in dies, immo plenam, participationem praestandam in iis quae ad ipsum pertinent.

c) Aliqui tamen cantus populi, praesertim si fideles nondum fuerint sufficienter instructi, aut si modi musici adhibentur e pluribus vocibus compositi, poterunt etiam uni scholae tribui, dummodo populus ab aliis partibus ne excludatur, quae ad ipsum spectant. Probandus autem non est usus tribuendi uni scholae cantorum universum cantum totius « Proprii » totiusque « Ordinarii », populo a participatione in cantu penitus excluso.

17. Sacrum quoque silentium suo tempore servetur;¹⁷ per illud enim fideles non modo non sunt habendi tamquam extranei vel muti spectatores actionis liturgicae, sed arctius in mysterium inseruntur, quod celebratur, per dispositiones internas, quae e verbo Dei audito, e cantibus et precibus prolatis, atque ex spirituali coniunctione cum sacerdote, suas partes proferente, dimanant. 749

18. Inter fideles speciali cura cantu sacro instituantur sodales religiosarum societatum laicorum, ita ut efficacius conferant ad participat[i]onem populi sustentandam et promovendam.¹⁸ 750
Totius autem populi institutio ad cantum sedulo ac patienter, simul cum institutione liturgica, perficiatur, iuxta fidelium aetatem, condicionem, vitae genus et religiosae cul-

¹⁴ Cf. *ibid.*, n. 11: AAS 56 (1964) 102-103.

¹⁵ Cf. *ibid.*, n. 30: AAS 56 (1964) 108.

¹⁶ Cf. *ibid.*, n. 30: AAS 56 (1964) 108.

¹⁷ Cf. *ibid.*, n. 30: AAS 56 (1964) 108.

¹⁸ Cf. S. C. Rituum, Instr. *Inter Oecumenici* (26 sept. 1964), nn. 19 et 59: AAS 56 (1964) 881 et 891.

turae gradum, iam a primis annis formationis in scholis elementariis.¹⁹

- 751 19. Peculiari mentione dignus, ob liturgicum ministerium quo fungitur, est chorus vel cappella musica vel schola cantorum. Eius munus, ex normis Sacrosancti Concilii liturgicam instaurationem respicientibus, maioris etiam momenti et ponderis factum est. Eius enim est de partibus sibi propriis, iuxta diversa genera cantuum, debite exsequendis, curare, et actuosam fidelium participationem in cantu fovere.

Proinde:

a) Chori vel cappellae, vel scholae cantorum habeantur et sedulo foveantur praesertim apud ecclesias cathedrales aliasque maiores ecclesias et in seminariis, atque studiorum domibus religiosis;

b) Eaedem scholae, etsi parvae, apud minores quoque ecclesias opportune constituentur.

- 752 20. Cappellae vero musicae quae apud basilicas, cathedrales, monasteria aliasque ecclesias maiores exstantes, saeculorum decursu magnam sibi laudem comparaverunt thesaurum musicum pretii inestimabilis custodiendo et fovendo, propriis traditis sibi normis, ab Ordinario recognitis et probatis, servantur ad sacras actiones splendidiore forma celebrandas. Curent tamen earundem scholarum magistri atque ecclesiarum rectores, ut populus cantui semper se societ ad partes saltem faciliores sibi proprias agendas.

- 753 21. Provideatur, praesertim ubi facultas etiam parvam scholam constituendi desit, ut unus alterve cantor ad minus habeatur, probe insti[307]tutus, qui simpliciores saltem modos, populo pro sua parte participante, proponat, ipsosque fideles opportune ducat et sustentet.

Expediit ut huiusmodi cantor adsit etiam apud ecclesias schola praeditas, pro iis celebrationibus, quas schola participare nequit et tamen cum aliqua sollemnitate, et ideo cum cantu, peragi decet.

- 754 22. Schola cantorum constare potest, iuxta probatos mores populorum aliaque adiuncta, sive ex viris et pueris, sive ex viris vel pueris tantum, sive ex viris et mulieribus, immo, ubi casus revera fert, ex mulieribus tantum.

- 755 23. Schola cantorum, attentata cuiusque ecclesiae dispositione, ita collocetur, ut:

a) clare appareat eius natura, eam nempe fidelium communitatis congregatae partem esse, et peculiare munus agere;

b) eius ministerii liturgici exsecutio facilius evadat;²⁰

¹⁹ Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 19: AAS 56 (1964) 105; S. C. Rituum, Instr. de musica sacra et sacra Liturgia (3 sept. 1958), nn. 106-108: AAS 50 (1958) 660.

²⁰ Cf. S. C. Rituum, Instr. *Inter Oecumenici* (26 sept. 1964), n. 97: AAS 56 (1964) 899.

e) singulis suis sodalibus plena in Missa participatio, idest participatio sacramentalis, commode permittatur.

Quoties vero schola cantorum etiam ex mulieribus constat, extra presbyterium ponatur.

24. Praeter institutionem musicam, sodalibus scholae cantorum tradatur etiam opportuna institutio liturgica et spiritualis, ita ut ex eorum muneris liturgici debita executione non tantum decus actionis sacrae et optimum exemplum fidelium exoriantur, sed et ipsorum sodalium bonum spirituale. 756

25. Ad hanc autem institutionem sive technicam sive spiritualem facilius assequendam, operam praebent consociationes de musica sacra dioecesanae, nationales et internationales, eae praesertim quae ab Apostolica Sede approbatae et pluries commendatae sunt. 757

26. Sacerdos, ministri sacri vel ministrantes, lector, et ii qui ad scholam cantorum pertinent, necnon et commentator, partes sibi assi[308]gnatas modo bene intellegibili proferant, ita ut populi responsionem, cum ritu requiritur, faciliorem et quasi obviam reddant. Expediit ut sacerdos et ministri cuiusvis gradus vocem suam cum voce universi coetus fidelium consocient in iis, quae ad populum spectant.²² 758

III. De cantu in Missae celebratione.

27. Ad celebrandam Eucharistiam cum populo, praesertim diebus dominicis et festis, praeferenda est, quantum fieri potest, etiam pluries in eodem die, forma Missae in cantu. 759

28. Retineatur distinctio inter Missam sollemnem, cantatam et lectam sancita Instructione anni 1958 (n. 3), iuxta traditas et vigentes leges liturgicas. Tamen pro Missa cantata gradus participationis, ratione utilitatis pastoralis, proponuntur, ita ut facilius evadat, iuxta cuiusque coetus facultates, Missae celebrationem cantu sollemniorum reddere. 760

Ipsi tamen gradus ita sunt ordinandi, ut primus etiam solus possit adhiberi, secundus autem et tertius, ex integro vel ex parte numquam sine primo. Itaque fideles ad plenam participationem in cantu semper perducantur.

29. Ad primum gradum pertinent: 761

a) in ritibus ad introitum:

— salutatio sacerdotis una cum responsione populi;

— oratio.

²² Cf. *Ibid.*, n. 40 b); AAS 36 (1964) 838.

b) *in liturgia verbi*:
— acclamationes ad Evangelium,

c) *in liturgia eucharistica*:
— oratio super oblata;
— praefatio, cum dialogo et *Sanctus*;
— doxologia finalis Canonis;
— oratio dominica cum sua monitione et embolismo;
[309] — *Pax Domini*;
— oratio post communionem;
— formulae dimissionis.[#]

762 30. Ad secundum gradum pertinent:

a) *Kyrie, Gloria et Agnus Dei*;
b) *Symbolum*;
c) oratio fidelium.

763 31. Ad tertium gradum pertinent:

a) cantus ad processiones introitus et communionis;
b) cantus post lectionem aut Epistolam;
c) *Alleluia* ante Evangelium;
d) cantus ad offertorium;
e) lectiones Scripturae sacrae, nisi eas sine cantu proferre magis opportunum visum fuerit.

[#] Ad dubium propositum, utrum « formulae dimissionis quae cantu sunt proferendae includant etiam benedictionem sacerdotis », responsio huiusmodi invenitur in N 3 (1967) 300:

Iuxta recentiorem instaurationem ritus conclusionis Missae habetur salutatio populi, benedictio, dimissio. Ad normam ergo rubricarum nunc vigentium, quibus cantus benedictionis in fine Missae proprius est solius Episcopi, primum elementum (salutatio) cantu esset proferendum, alterum vero (benedictio) sine cantu, et tertium (dimissio) iterum in cantu.

Nemo est qui non videat quam incongrua sit huiusmodi agendi ratio, iuxta quam elementum maioris momenti, nempe benedictio, minoris evaderet sollemnitatis. Usque adhuc incongruentia minus sentiebatur: nam benedictio posita erat in fine, separata a formula dimissionis per recitationem secreto factam orationis *Placeat*, et ideo manebat quid per se stans. Nunc vero formula benedictionis inseritur inter duas alias formulas cantatas, et transitus a cantu ad recitationem et iterum ad cantum minus aptus videtur.

Proinde, attenda nova elementorum ordinatione in ritu conclusionis Missae, ut uniformitas inter haec elementa servetur, congruum videtur ut etiam formula benedictionis, in Missis in cantu, etiam a sacerdote cantu proferatur.

Duplex melodia pro benedictione finali proponitur, in suo contextu inserta. Etiam partes Episcopo reservatae referuntur. Prima melodia cum tono orationis festivo et feriali aptius ligatur; altera vero cum tono orationis « ad libitum ».

32. Usus legitime vigens in aliquibus locis, passim indultis confirmatus, alios cantus substituendi pro cantibus ad introitum, ad offertorium et ad communionem in Graduali exstantibus, de iudicio competentis auctoritatis territorialis, servari potest, dummodo huiusmodi cantus cum partibus Missae, cum festo vel tempore liturgico congruant. Eadem auctoritas territorialis textus horum cantuum approbare debet. 764

33. Expediit ut coetus fidelium, quantum fieri potest, cantus « Proprii » participet, praesertim per faciliora responsa vel alios opportunos modulos. 765
Inter cantus « Proprii » peculiarem vim habet cantus post lectiones occurrens, in modum gradualis aut psalmi responsorii peractus. Natura sua est pars liturgiae verbi; proinde est proferendus omnibus sedentibus et auscultantibus, immo, quantum fieri potest, participantibus.

34. Cantus, qui « Ordinarium Missae » dicuntur, si modis musicis pluribus vocibus conscriptis canuntur, a schola cantorum suetis normis [310] persolvi possunt, vel « a cappella » vel instrumentis comitantibus, dummodo populus a participatione in cantu omnino non excludatur. 766
In aliis casibus cantus « Ordinarii Missae » distribui possunt inter scholam cantorum et populum aut etiam inter duas ipsius populi partes, ita ut executio fiat versibus alternis, aut alia congruente ratione, quae partes ampliores totius textus complectatur. In his casibus prae oculis tamen habeatur: *Symbolum*, cum sit forma professionis fidei, praestat ab omnibus cantari, aut tali modo, qui fidelium congruam participationem permittat; *Sanctus*, utpote acclamationem conclusivam praefationis, praestat ab universo coetu, una cum sacerdote, de more cantari; *Agnus Dei*, toties repeti potest quoties necessarium est, praesertim in concelebratione, cum fractionem comitatur; expediit ut populus hunc cantum saltem per invocationem finalem, participet.

35. Oratio dominica a populo una cum sacerdote convenienter profertur.²² Si lingua latina cantatur, adhibeantur melodiae legitime iam exstantes; si vero lingua vernacula canitur, modi sunt a competenti auctoritate territoriali approbandi. 767

36. Nihil impedit quominus in Missis lectis aliqua pars « Proprii » vel « Ordinarii » cantetur. Immo quandoque etiam aliquis alius cantus proferri potest initio, ad offertorium et ad communionem, necnon in fine Missae: qui tamen cantus non sufficit ut sit « eucharisticus », sed oportet ut cum partibus Missae, cum festo vel tempore liturgico congruat. 768

²² Cf. S. C. Rituum, Instr. *Inter Oecumenici* (26 sept. 1964), n. 48 g: AAS 56 (1964) 888.

- 769 37. Celebratio Divini Officii in cantu, utpote quae huius precationis naturae magis congruat, et indicium sit plenioris sollemnitatis atque profundioris unionis cordium in laudibus Dei persolvendis, iuxta votum a Constitutione de sacra Liturgia expressum,²² enixe commendatur his qui in choro vel in communi ipsum Officium Divinum persolvunt.
[3/1] Expediit enim ut saltem aliqua pars Officii Divini, et in primis Horae praecipuae, nempe Laudes et Vesperae, saltem diebus dominicis et festis, ab his cantu persolvantur.
Alii quoque clerici studiorum causa in communi viventes, aut exercitiorum spiritualium vel aliorum coetuum gratia simul convenientes, per aliquas partes Divini Officii in cantu celebratas coetus suos opportune sanctificent.
- 770 38. In Officio Divino in cantu celebrando, firmo iure vigenti pro iis qui obligatione chori tenentur firmisque indultis particularibus, principium « progressivae » sollemnitatis adhiberi potest, quatenus eae partes, quae, natura sua, cantui magis directe destinantur, veluti dialogi, hymni, versus, cantica, cantu proferuntur, cetera vero recitantur.
- 771 39. Fideles invitentur et debita catechesi efformentur ad celebrandas in communi diebus dominicis et festis quasdam Divini Officii partes, praesertim autem Vesperas aut, iuxta locorum et coetuum consuetudines, alias Horas. Generatim autem fideles, cultiores praesertim, per aptam institutionem dirigantur ad psalmos, sensu christiano intellectos, in suis precibus adhibendos, ita ut gradatim ad ampliores gustum et usum orationis publicae Ecclesiae quasi manuducantur.
- 772 40. Huiusmodi autem disciplina peculiari ratione tradatur sodalibus Institutorum consilia evangelica profitentium, ut exinde uberiores hauriant divitias ad vitam spiritualem fovendam. Expediit autem ut Horas praecipuas, etiam in cantu, quantum fieri potest, persolvant, ad publicam Ecclesiae orationem plenius participandam.
- 773 41. Ad normam Constitutionis de sacra Liturgia, iuxta saecularem traditionem ritus latini, in Officio Divino in choro celebrando lingua latina clericis servanda est.²⁴
Cum autem eadem Constitutio de sacra Liturgia²⁵ praevideat usum [3/2] linguae vernaculae in Divino Officio tum ex parte fidelium, tum ex parte Monialium aliorumque sodalium Institutorum consilia evangelica profitentium, qui non sint clerici, congrua cura habeatur ut parentur melodiae quae in cantu Divini Officii lingua vernacula adhibeantur.

²² Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 99. AAS 56 (1964) 121.

²³ Cf. *ibid.*, n. 101, § 1; AAS 56 (1964) 124; S. C. Rituum, *Instr. Inter Oecumenici* (26 sept. 1964), n. 85; AAS 56 (1964) 297.

²⁴ Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 101. §§ 2 et 3; AAS 56 (1964) 125.

V. De musica sacra
in Sacramentorum et Sacramentalium celebratione,
in peculiaribus actionibus anni liturgici,
in sacris verbi Dei celebrationibus
et in piis sacrisque exercitiis.

42. Ex principio a Sacrosancto Concilio declarato, ut quoties ritus, iuxta propriam cuiusque naturam, secum ferunt celebrationem communem, cum frequentia et actuosa participatione fidelium, haec praeferatur celebrationi eorundem singulari et quasi privatae,³⁵ necessario consequitur ut cantus magni fiat, utpote aspectum « ecclesiam » celebrationis aptius manifestans. 774
43. Quaedam autem Sacramentorum et Sacramentalium celebrationes, quae in vita totius communitatis paroecialis peculiare habent momentum, veluti Confirmatio, Ordinationes sacrae, Matrimonium, Consecratio ecclesiae vel altaris, Exsequiae, etc., quantum fieri potest, in cantu peragantur, ita ut etiam sollemnitatis ritus ad maiorem efficacitatem pastorem conferat. Sedulo tamen caveatur ne, sub sollemnitatis specie, quicquam in celebrationem introducatur mere profanum aut cultui divino minus conveniens; quod pertinet praesertim ad celebranda matrimonia. 775
44. Item sollemniores per cantum fiant illae celebrationes, quae a Liturgia speciali nota, decursu anni liturgici, signantur. Modo vero omnino peculiari sollemnitate debita donentur sacri Hebdomadae Sanctae ritus, qui, per mysterii paschalis celebrationem, fideles ad ipsum veluti centrum anni liturgici ipsiusque Liturgiae ducunt. 776
45. Etiam pro liturgia Sacramentorum et Sacramentalium et pro aliis peculiaribus actionibus anni liturgici, provideantur opportuna [313] melodiae, quae celebrationem forma sollemniori agendam etiam lingua vernacula foveant, iuxta competentis auctoritatis normas et singulorum coetuum facultates. 777
46. Magna est musicae sacrae efficacia ad fidelium pietatem alendam etiam in sacris verbi Dei celebrationibus et in piis sacrisque exercitiis. 778
In sacris quidem verbi Dei celebrationibus,³⁶ exemplum sumatur e liturgia verbi in Missa;³⁷ in omnibus autem piis sacrisque exercitiis magnae utilitatis erunt praesertim psalmi, opera musicae sacrae e thesauro tum antiquo tum recentiore derivata, cantus religiosi populares necnon sonus organi aliorumve instrumentorum, quae sunt magis propria.
In iisdem insuper piis sacrisque exercitiis, et praesertim in sacris verbi Dei celebrationibus, optime admittuntur etiam

³⁵ Cf. *ibid.*, n. 27; AAS 56 (1964) 107.

³⁶ Cf. S. C. Rituum Instr. *Inter Oecumenici* (26 sept. 1964), nn. 37-39. AAS 56 (1964) 884-885.

³⁷ Cf. *ibid.*, n. 37. AAS 56 (1964) 885.

nonnulla e musicis operibus quae, etsi in Liturgia locum amplius non habent, possunt tamen spiritum religiosum excitare et meditationem mysterii sacri fovere.²⁸

VI. De lingua
*in actionibus liturgicis in cantu celebratis adhibenda,
et de thesauro musicae sacrae servando.*

- 779 47. Iuxta Constitutionem de sacra Liturgia, « linguae latinae usus, salvo particulari iure, in Ritibus latinis servetur ».²⁹ Cum tamen, « haud raro linguae vernaculae usurpatio valde utilis apud populum existere possit,³¹ » est competentis auctoritatis ecclesiasticae territorialis de usu et modo linguae vernaculae statuere, actis ab Apostolica Sede probatis seu confirmatis.³²
[314] Proinde his normis adamussim servatis, congrua participationis forma pro cuiusque coetus facultatibus opportune adhibeatur.
Curent animarum pastores, ut, praeterquam lingua vernacula « christifideles etiam lingua latina partes Ordinarii Missae, quae ad ipsos spectant, simul dicere vel cantare sciant ».³³
- 780 48. Videant locorum Ordinarii utrum, inducto usu linguae vernaculae in celebrationem Missae, opportunum evadat ut, in aliquibus ecclesiis, praecipue vero in magnis urbibus, quo fideles diversi sermonis frequentius conveniunt, unam aut plures Missas lingua latina celebrandas servent, praesertim in cantu.³⁴
- 781 49. Ad usum linguae latinae vel vulgaris quod attinet in sacris celebrationibus peragendis in Seminariis, serventur normae S. Congregationis de Seminariis et studiorum Universitatibus de institutione liturgica alumnorum.
Sodales autem Institutorum consilia evangelica profitentium in eadem re eas servent normas, quae exstant in Litteris

²⁸ Cf. *infra*, n. 53.

²⁹ Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 36, § 1: AAS 56 (1964) 109.

³⁰ *Ibid.*, n. 36, § 2: AAS 56 (1964) 109.

³¹ *Ibid.*, n. 36, § 3: AAS 56 (1964) 109-110.

³² *Ibid.*, n. 54: AAS 56 (1964) 115; S. C. Rituum, *Instr. Inter Oecumenici* (26 sept. 1964), n. 39: AAS 56 (1964) 891.

³³ Ad dubium propositum: « Quinam sunt casus, a lege praevisi, in quibus lingua latina adhiberi potest in Missa, quae concurrente populo celebratur? »: responsio huiusmodi invenitur in N 6 (1970) 104.

Hi casus praevisi et statuti sunt ab Ordinariis locorum pro ipsorum dioecesibus et aliquibus in circumstantiis. Vicarius almae urbis, verbi gratia, statuit ut, pro bono spirituali peregrinorum, aliquae Missae, certis in ecclesiis, lingua latina celebrentur.

Apostolicis *Sacrificium laudis* diei 15 augusti 1966, necnon in Instructione de lingua in celebrandis Officio Divino et Missa conventuali aut communitatis apud Religiosos adhibenda, data ab hac S. Rituum Congregatione die 23 novembris 1965.

50. In actionibus liturgicis in cantu lingua latina celebrandis. 782

a) Cantus gregorianus, utpote liturgiae romanae proprius, principem locum, ceteris paribus, obtineat.³⁴ Eius melodiae in typicis editionibus exstantes opportune adhibeantur.

b) « Expedit quoque ut paretur editio simpliciores modos continens, in usum minorum ecclesiarum ». ³⁵

[3/5] c) Alii modi musici, una vel pluribus vocibus conscripti et sive ex thesauro tradito sive ex novis operibus desumpti, in honore habeantur, foveantur et pro opportunitate adhibeantur. ³⁶

51. Videant insuper animorum pastores, prae oculis habitis locorum condicionibus, fidelium utilitate pastorali et cuiusque sermonis ingenio, utrum partes thesauri musicae sacrae, quae pro textibus lingua latina exaratis superioribus saeculis conscriptae sunt, praeterquam in actionibus liturgicis lingua latina celebratis, etiam in iis adhiberi conveniat, quae lingua vernacula peraguntur. Nihil enim impedit quominus in una eademque celebratione aliquae partes alia lingua canantur. 783

52. Ad thesaurum musicae sacrae servandum, et ad novas formas cantus sacri promovendas, « magni habeatur institutio et praxis musica in Seminariis, in Religiosorum utriusque sexus novitiatibus et studiorum domibus necnon in ceteris institutis et scholis catholicis », praesertim autem apud Instituta Superiora ad hoc specialiter destinata. ³⁷ Studium imprimis et usus promoveatur cantus gregoriani, quia, ob peculiare eius notas, fundamentum magni momenti est cultus musicae sacrae. 784

53. Novae musicae sacrae opera principiis atque normis expositis fideliter conformentur. Ideo « notas verae musicae sacrae prae se ferant atque non solum a maioribus scholis cantorum cani possint, sed minoribus quoque scholis conveniant et actuosam participationem totius coetus fidelium foveant ». ³⁸ 785

Ad thesaurum autem traditum quod attinet, primo in luce ponantur eae partes, quae sacrae Liturgiae instauratae exigentiis respondeant; attente deinde considerent viri in hac re apprimè

³⁴ Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 116: AAS 56 (1964) 129.

³⁵ *Ibid.*, n. 117: AAS 56 (1964) 129.

³⁶ Cf. *ibid.*, n. 116: AAS 56 (1964) 129.

³⁷ *Ibid.*, n. 115: AAS 56 (1964) 129.

³⁸ *Ibid.*, v. 121: AAS 56 (1964) 130.

periti num aliae partes iisdem exigentiis aptari possint; reli-
quae tandem, quae cum natura [316] aut congrua actionis
celebratione pastorali conformari nequeunt, ad pia exercitia,
praesertim vero ad sacras verbi Dei celebrationes, opportune
transferantur.¹⁹

VII. *De melodiis apparandis
pro textibus lingua vernacula exaratis.*

- 786 54. In conficiendis popularibus interpretationibus earum par-
tium quae melodiis erunt ornandae, praesertim vero Psalterii,
curent periti ut congruentia cum textu latino et apta ratio
textus vulgaris ad modulationem opportune inter se coniun-
gantur, servatis cuiusque linguae ingenio et legibus, et prae
oculis habitis indole et notis peculiaribus cuiusque gentis:
quam traditionem una cum musicae sacrae legibus artifices
musicī sedulo considerent in novis melodiis apparandis.
Curae proinde sit competenti auctoritati territoriali ut in
Commissione, cui opus conceditur populares interpretationes
conficiendi, periti in commemoratis disciplinis atque in linguis
latina et vernacula partem habeant, qui iam ab initio operis
consociatis viribus laborent.
- 787 55. Competentis auctoritatis territorialis erit decernere num
quidam textus vulgares cum modis musicis connexi, a saeculis
anteactis traditi, adhiberi valeant, licet in omnibus cum inter-
pretationibus textuum liturgicorum legitime approbatis non
concordent.
- 788 56. Inter melodias pro textibus popularibus exarandas, illae
peculiare momentum habent, quae sacerdotis et ministrorum
sunt propriae, sive eas soli concinant sive una cum coetu fide-
lium cantent aut cum eo in dialogi modum proferant. In his
conficiendis, considerent musicī artifices num traditae melo-
diae liturgiae latinae, quae hunc in finem usurpantur, melodias
suggerere possint pro iisdem textibus in lingua vernacula
proferendis.
- 789 57. Novae melodiae pro sacerdote et ministris a competenti
auctoritate territoriali approbari debent.²⁰
- 790 [317] 58. Curae sit coetibus Episcoporum, quorum interest, ut
una habeatur interpretatio popularis pro una eademque lingua,
quae diversis in regionibus adhibetur. Expedi etiam ut, quan-
tum fieri potest, una vel plures habeantur melodiae communes
pro partibus quae ad sacerdotem et ad ministros spectant et
pro responsionibus et acclamationibus populi, ita ut communis
participatio eorum, qui eadem lingua utuntur, foveatur.
- 791 59. Musicī artifices novum opus aggrediantur ea sollicitudine
acti ut traditionem prosequantur, quae Ecclesiae verum the-

¹⁹ Cf. *supra*, n. 46.

²⁰ Cf. S. C. Rituum, *Instr. Inter Documenti* (26 sept. 1964), n. 42: AAS 56 (1964) 886.

saurum praebuit in cultu divino adhibendum. Praeterita opera eorumque genera et proprietates inspiciant, sed et novas sacrae Liturgiae leges atque necessitates attente considerent, ita ut « novae formae ex formis iam exstantibus organice quodammodo crescant »⁴² et nova opera novam partem thesauri musici Ecclesiae efficiant, praeteritis haud indignam.

60. Novae melodiae pro textibus lingua vernacula proferendis experientia certe indigent ut ad sufficientem maturitatem et perfectionem perveniant. Vitandum tamen est ne, experimenti etiam solummodo causa, ea in ecclesia fiant, quae sanctitatem loci, dignitatem actionis liturgicae et pietatem fidelium deceant.

61. Peculiarem praeparationem exigit apud peritos studium aptandi musicam sacram iis in regionibus, quae propria traditione musica sunt praeditae, praesertim in regionibus missionum:⁴³ agitur enim de opportune sociando sensu rerum sacrarum cum spiritu, traditionibus et ingenii significationibus illarum gentium propriis. Ii, qui huic rei operam navant, sufficientem cognitionem habeant oportet cum Liturgiae et traditionis musicae Ecclesiae, tum linguae, cantus popularis atque aliarum significationum ingenii illius gentis in cuius utilitatem hoc munus praestant.

VIII. De musica sacra instrumentali.

[318] 62. Musica instrumenta magnam utilitatem in sacris celebrationibus afferre possunt, sive cantum comitantur sive sola pulsantur.

« Organum tubulatum in Ecclesia latina magno in honore habeatur, tamquam instrumentum musicum traditionis cuius sonus Ecclesiae caeremoniis mirum addere valet splendorem atque mentes ad Deum ac superna vehementer extollere. Alia vero instrumenta, de iudicio et consensu auctoritatis territorialis competentis, in cultum divinum admittere licet, quatenus usui sacro apta sint vel aptari possint, templi dignitati congruant, atque revera aedificationi fidelium favent ».⁴⁴

63. In admittendis et adhibendis musicis instrumentis ratio habenda est ingenii et traditionis singulorum populorum. Attamen ea quae, ex communi iudicio et usu, profanae tantum musicae conveniunt, ab omni actione liturgica et a piis sacrisque exercitiis omnino arceantur.⁴⁵ Omnia autem musica instrumenta, quae in cultum divinum admittuntur, ita adhibeantur, ut cum postulatis actionis sacrae congruant, in decorem divini cultus et in aedificationem fidelium cedant.

⁴² Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosummum Concilium*, n. 23; AAS 56 (1964) 106.

⁴³ Cf. *ibid.*, n. 119; AAS 56 (1964) 129-130.

⁴⁴ *Ibid.*, n. 120; AAS 56 (1964) 130.

⁴⁵ Cf. S. C. Rituum, Instr. de musica sacra et sacra Liturgia (3 sept. 1958), n. 70; AAS 50 (1958) 652.

- 796 64. Per musica instrumenta quae cantum comitantur voces sustentari possunt, participatio facilior reddi, et unitas coetus profundius perfici. Eorum tamen sonus voces ne obruat, ita ut textus difficile percipiantur; cum autem aliqua pars a sacerdote vel ministro, vi proprii muneris, elata voce profertur, taceant.
- 797 65. In Missis sive in cantu sive lectis organum aliudve instrumentum musicum legitime admissum adhiberi potest ad cantum schoiae cantorum et populi comitandum; solum autem pulsari potest initio, antequam sacerdos ad altare accedat, ad offertorium, ad communionem et in fine Missae.
[319] Eadem autem norma, congrua congruis referendo, etiam ad alias actiones sacras applicari potest.
- 798 66. Sonus autem eorundem instrumentorum, solus, non permittitur tempore Adventus, Quadragesimae, in Triduo sacro et in Officiis et Missis defunctorum.
- 799 67. Omnino expedit ut organi modulatores ceterique artifices musici non tantum peritia polleant ad instrumentum sibi concreditum debito modo pulsandum; sed intimum sacrae Liturgiae spiritum cognoscant et penetrent oportet ut, munus suum etiam ex tempore exercentes, sacram celebrationem, iuxta veram naturam eius partium, ornent, ipsamque fidelium participationem foveant.⁴⁵

IX. De Commissionibus
musicae sacrae promovendae praepositis.

- 800 68. Commissiones dioecesanae de musica sacra opem ferunt magno ponderis ad musicam sacram una cum actione liturgica pastorali in dioecesi promovendam.
Proinde in quavis dioecesi, quantum expedit, habeantur, et consociatis viribus una cum Commissione sacrae Liturgiae dent operam.
Immo saepius congruum erit ut ambae Commissiones in unam coalescant, ex personis in utraque disciplina peritis constantem; ita ut res facilius promoveatur.
Valde autem commendatur ut, ubi utilius visum fuerit, plures dioeceses unicam constituent Commissionem, quae aequalem agendi rationem in una eademque regione efficiat et vires fructuosius in unum colligat.
- 801 69. Commissio de sacra Liturgia, quae apud coetus Episcoporum constituenda pro opportunitate consulitur,⁴⁶ etiam de musica sacra curet; ac proinde etiam ex personis musica sacra peritis constet. Expedit vero ut huiusmodi Commissio non solum cum Commissionibus [320] dioecesanis, sed etiam cum aliis sodalitatibus quae de re musica in eadem regione

⁴⁵ Cf. *supra*, nn. 24-25.

⁴⁶ Cf. Conc. Vat. II. Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 44: AAS 56 (1964) 112.

curant, consilia conferat. Hoc autem etiam de Instituto pastoraliturgico dicendum est, de quo in eodem art. 44 Constitutionis est sermo.

Praesentem Instructionem Summus Pontifex Paulus Pp. VI, in Audientia Emo Arcadio M. Card. Larraona, huius Sacrae Congregationis Praefecto, die 9 februarii 1967 concessa, approbavit et auctoritate Sua confirmavit, et publici iuris fieri iussit, pariter statuens ut a die 14 maii 1967, dominica Pentecostes, vigere incipiat.